DE VITIIS LOQUELAE QUAEDAM

A

PAULLO MARZOLO

EXPOSITA

QUUM MEDICINAE LAUREAM CORONAM

ASSEQUERETUR

PATAVII

TYPIS VALENTINI CRESCINII

1834

ILLUSTRI VIRO

CAUSSARUM PATRONO,

LEGALIS FACULTATIS DECANO

IN UNIVERSITATE PATAVINA

JACOBO D. BRUSONI

ET ITALICAE CHIRURGIAE ORNAMENTO

SAMUELI D. MEDORO

PARVUM HOC GRATI ANIMI PIGNUS

DICANS CANDIDATUS

REPETIT QUOD DIXIT ALIAS POETA

Nè che poco vi dia, da imputar sono,
Chè quanto posso dar, tutto vi dono.

Inter caussas multiplices excellentiae humani generis prae caeteris animantibus, duae recensentur praecipue, tactus perfectior propter peculiarem manus formam, et loquela; loquela, cujus ope secretissimos cerebri motus alter alteri communicat, quae abstractioni idearum tantopere favet, qua fit ut tardissimus nepos sciat antiquissimorum parentum, quorum ossium nec pulvis invenitur, ipsas cogitationes, et homo nuper natus incipiat a gradu quo desinit ultimus, quin ipsi opus sit fundamenta rei in qua versatur, ponere, sed progressu semper rapidiori recta ad culmen tendere, in quo maxime differunt ejus opera ab illis brutorum ingeniosiorum.

Homo loquendi facultatis ope procul dubio ad hujusmodi pervenit vitae socialis praestantiam, qualem hodiernis temporibus praeseferunt cultae nationes; ab hac sententia neminem secedere arbitror in quam philosophi omnium temporum et ubique locorum convenerunt. Socratem recordor apud Xenophontem loquutum. Hˋ ου'κ ἐντεθύμηται ὂτι ὂσα τὲ νόμω μεμαθήκαμεν κάλλιστα ὂντα δί ὦν γε ζὴ'ν ἐπιστάμεθα ταυτα πἂντα διά λόγου ἐμάθομεν, και εἰ τι ἂλλο καλὸν μανθάνει τις μάθημα διὰ λόγου μανθάνει; = et

Tullium: haec ars (loquela) juris, legum societate devinxit; haec a vita immani et fera segregavit; Buffon vero surdis et hinc mutis ab ortu cognitionem omnem abstractionum negavit, et diversae orbis gentes tanti in evolutione mentalium facultatum loquelam fecerunt, ut mutis non omnibus juribus aeque ac alii frui posse concesserint, et apud veteres quasi stolidi haberentur, apud Romanos factionem testamenti non haberent, et jus romanum ipsis tutelas sumere vetuit, quin immo eaedem leges et apud nos ipsis curatores vel tutores statuerunt: quod si nostris temporibus singulari educatione eousque perduci possint, ut aliquando curatoribus non egere ostendant, semper tamen ipsis absque procuratore in judicium sistere negatur.

Equidem non inficior, celeberrimos illos humani generis amicos La Ponce, De l'Epèe, Sicard et nostrum Assarotti aliis signis sermonem conventionis instituisse, immo et ipsas alphabeticas notas mutis tradidisse, quibus fit, ut illi ad humanam dignitatem reducantur, dum hujus sermonis ope ea percipere quae et nos, possunt, scientias omnes abstractissimas quasque colere, et in omnibns profiteri : sed semper firmum manebit, quod ipsi surdi numquam per se hujusmodi linguam oculorum instituere potuissent, quali ipsi in scriptura nostra utuntur, nec societas mutorum umquam societati hominum articulate loquentium comparanda evasisset, nisi alius vir jam ope loquelae optime instructus iisdem auxiliatus essit; atque ad summum si populus mutorum inveniretur, nil aliud per

se hunc efficere posse concedo, nisi picturam qua signum conventionis adhibere, ac hieroglyphicos characteres inde invenire, minime vero tam simplicibus et paucis elementis quae infinite componi et combinari possent, qualia nos in alphabeticis notis possidemus, quidquid voluissent explicare, et nequidem ad imperfectionem scripturae Sinarum pervenire qui ad analysin loquelae in sua simplicissima elementa utpote nos in nostris alphabeticis notis non pervenerunt, sed tantum ad syllabas hoc est ad composita primi ordinis; nam characteres, elementa vel compositiones eorum referentes a facultate loquendi originem duxerunt, quorum non ideam habere possunt muti, et patet quod prius hanc facultatem possidere oportet, et hinc omnes sonos cognoscere, ut dein aliquis meditetur signa conventionalia, quae ipsos referant fingere; pro mutis scriptura tantum ad oculos refertur, e contra in nobis etium ad oculos primitus sane, sed oculus nil nisi via est, qua ad aurium sensum characteres loquuntur, nam ipsi non immediate rem, sed sonum qui rem repraesentat, referunt, et legens repetit memoriter sonos, quos indicant characteres ipsi; hinc in lectione nostra sic evenit = primo oculus percipit characteres et ad cerebrum fert, dein a cerebro fit repetitio motuum quos soni ipsi ab iisdem characteribus indicati alias produxerunt, et ex hac repetitione centrum maximum ideas percipit, quae scriptura ipsa suscitare vult; quod equidem rapidissime fit, sed quidem fit, et hoc mechanema experientia detegit ac ob-

servatio quod in lectione chara alicujus poeticae rei vel quae fortiter quovis modo animum moveat, impetu quasi automatico etiam organa motus producentia eosdem sonos in actionem incitamus, et vere sonos pronuntiamus qui indicati sunt, et exinde ipsi nobis proprio ore auctores sumus nostris auribus voluptatis illorum sonorum, quibus jam conventione datae ideae inhaerent: hoc fit evidenter, quod alias tacite, quum habeatur major animi emotio quam plerumque, quia tum impressio in cerebro quae ad filamenta nervosa organi auditus communicata est, propter maximam ejus vim oscillationem majorem inducit quae propagatur filamentis continuis vel contiguis nervorum loquelae.

Quapropter quum loquela maximum sistat humanae perfectionis instrumentum, eadem loquela plus minusve a recto tramite recedens, plus minusve decoris et venustatis humanae naturae aufert, et commercio indeque progressui societatis obstat. Quis non miseretur viros aliquando omni virtute praeditos, qui loquelae infirmitate ea quae cogitant, nec audeant nec possint proferre? Quin immo in sociali vita noxae multiplices linguae imbecillitatem prosequuntur, eo quod et nobis alios irridentes intueri cogamur, et muneribus quae mereremur et quae aliunde fungi possemus, renuntiare, ut Moses ille divinae mentis et ingenii Aaroni ministerium abdicare coactus, et in re militari nec ad minimos gregariorum honores blaesis pervenire conceditur; alias vitia loquelae multiplices

per se morbos constituunt, et symptomata aliorum morborum, nec de omnibus loquelae infirmitatibus desperandum est, quandoque etiam de hisce medicum tribunalia sciscitantur, ex his omnibus patet non inane fore in id studium incumbere.

Quamobrem quum et mos sit et candidatorum munus, aliqua dè re in sua unumquemque disciplina disserere, de vitiis loquelae aliquid tentare conabor hac die gratiarum et affectuum, quae mihi finem dicit academicarum consuetudinum, in quibus Vos Ornatissimi Viri, ope loquelae omnes sapientiae thesauros profectui panditis juvenum frequentium.

Antequam de Pathologia loquelae dicamus, necesse est quae sit perfecta et normalis ejusdem conditio cognoscere, quod tunc facillimum erit varias abnormitates enumerare atque secernere.

Genesis sonorum articulatorum est effectus pendens a distributione, continuitate vel contiguitate centri maximi in cerebro et in extremitatibus filamentosis nervorum ab organo auditus venientium cum extremitatibus nervorum qui ad organa vocis diffunduntur; illi accipiunt impressiones articulatarum vocum, quae ab aliis emittuntur atque pergunt ab organo auditus ad centrum maximum, ubi filamenta nervosa inveniunt quae ad organa vocis easdem transferunt ut varia fiat tensio textuum ejusdem organi, qui tunc voces in eosdem articulatos sonos mutat; vox sonus est ab aere productus dum per laryngem transiit tam si in tracheam ingrediatur, quam si egrediatur, atque fit in

glottide, seu in spatio illo inter ligamenta Thyreo-arytenoidea. Organa vero per quae fit sonorum articulatio postquam exiit aer e trachea arteria et larynge, sunt velum, fornix palatinus, linguae dentes labia et nasus; anatomia non ostendit usque adhuc diversitates in organis vocis atque loquelae diversarum gentium.

Ex hisce evenit, ut cum optimam unaquaeque harum partium propriae naturae accomodatam formam possideat ac vigeat vis plastica et nervorum actio, omnes sibi creditas functiones exercere valeant. Quod aetas, sexus, temperamentum, habitus corporis, morbi, et praecipue chirurgicae operationes diversimode influant in haec organa neminem latere existimo.

Itaque variae sunt loquelae abnormitates, sed quum varios auctores legerem atque consulerem, de his non mihi sat clarae visae sunt eorum definitiones atque distinctiones: quocirca aliquas eorum referam, ut ipsi Vos Auditores Humanissimi, judicium feratis.

= Balbuties, haesitatio linguae juxta sententiam quorundam est quadam difficultate loqui, et vocabula proferre voce ima, parum distincta, nec non dubietate ac interruptione, aliquando tranquille etiam absque praecipitatione eadem repetere. = Et hic definitionem alter reprehendit = quod ipsa confundat ideam *Balbutire* cum altera *Tartagliare*, et ait quod primum vitium constat repetitione vocabulorum quae invita est vel convulsiva, quod a statu debilitatis partialis vel generalis actionis muscularis et a communi

laesione symptomatica quorumdam morborum pendet, et alterum est juxta ejusdem sententiam in affectione spasmodica situm ac loquelae et vocis vitium sistit. =

Animadvertendum hic est, quod de hac distinctione tantum inter italici sermonis doctos mentio fieri potest, dum alia lingua traduci nequeat, porro in ipsorum vocabulorum significatione nullum inesse distinctionis characterem, indeque, minus progressui scientiarum favere distinctiones in ambiguitate verborum sitas cujusdam linguae alienigenis ignotae nec in usu, qua communis interpres et sermo conventionalis omnium doctorum virorum.

Et Sauvages omne vitium locutionis balbutiem dixit, quae est, definit ipse = pronuntiatio vel repetitio invita alicujus syllabae vel litterae, et differentiam ponit inter *Balbuzie* et *Balbettamento*. = Equidem cerebrosa distinctio. Aliis est = Balbutie repetitio litterarum *B. M. P.*

Alibi nulla penitus differentia sed = *Balbuties* et *Balbettamento Haesitatio linguae Psellismus* unum idemque vitium sistunt, quo fit ut articulatio sonorum interrupta, imperfectaque fiat nec non confusio repetita sonorum vocalium, qui ab organis loquelae vim quamdam et continuitatem requirunt. =

Denique apud alium invenio = *Balbutire* vitium pronuntiationis, quod manifestatur auditoribus in specie quadam volutationis quum syllabae proferantur,

in quibus *R* inveniatur, in pronuntiatione litterarum *C V* et *G* loco *R*, et in omissione soni *R* quotiescumque occurrat in sermone, hoc est uno verbo in perversione quocumque modo litterae *R* = Neminem latet quod et alia vitia loquelae praeter malam vel nullam pronuntiationem *R* in communi societate audiuntur.

Quapropter quum mihi hae divisiones infirmiores cardines offerre viderentur, ipse mecum multiplices abnormitates perscrutatus sum atque in classes distribui. Hic quotquot vocabula, quae alicubi jam applicita passim inveni, collegi ibique statui, ubi mihi magis idonea videbantur; iis vero vitiis quibus nomen nunquam nec a medicis nec ab humanarum litterarum scriptoribus tributum est, ipse dedi, vel aliud quod jam antiquitus apud Graecos et Latinos, vel vulgari sermone in usu esset, vel sic finxi ut in ejus etymo aliquo modo ratio inesset propter quam adhibitum est. En sic divisi.

Loquela vel penitus abest, (Alalia) vel difficilis abnormis et in quibusdam circumstantiis impossibilis (Cacolalia).

Alalia.

Alalia congenita est, vel acquisita. Congenita plerumque a privatione sensus auditus pendet, et tunc permanens est; aliquando etiam rarissime tamen, ab evolutione pessima vel perversione organorum articula-

tionum vocum, utpote in ankyloglosso ad apicem usque linguae perveniente ac strictim linguam continente. Juxta varias circumstantias curatur. Alalia aliquando gentilitia est. Ex statistica patet, quod temporibus de l'Epée ter mille muti in Gallia inveniebantur, posterius plus duodecim millibus: quidam putant in decies ceuties mille capitibus 100 alii 200 mutos dari (*).

Qui Cophoseos caussa muti sunt, eousque educatione perveniunt ut loqui possint recta pronuntiatione et distincta et significationis scientia, quin ipsi tamen sonos quos edunt, percipiant, ut in duobus juvenibus celeberrimi Pereira alumnis visum est. Acquisita vero rarior est ac temporaria plerumque, pendet ab innormali conditione partium, quae articulationi sonorum contribuunt, hinc in glossitide vehementissima, glossocele, et inflammationibus propinquarum partium, hinc in omnibus exanthematibus quae ea organa afficere possunt, ut in variolis, si phlogosis fatalis fiat, praeterea in multis nevrosibus et morbis cerebri.

Cacolalia

Caussae remotae sunt haereditaria dispositio, sexus, temperamentum, habitus corporis, aetas, tempestates variae ac constitutio atmosphaerica, vitae genus, morbi praegressi, clima, animi affectiones.

(*) Conversations - Lexicon Taub - Stummen - Institut. Leipzig. 1812.

Quoad dispositionem gentilitiam integrae familiae hoc morbo laborare videntur utpote quarumdam gentium cognomina testantur. Sexus, praecipue masculinus, rarissima inventa est in mulieribus (Jtard). Temperamentum: omnia variis par se cacolaliae generibus contribuunt, praecipue vero pituitosum boeoticum proprie et biliosum. Habitus corporis omnes, saepe in pueris cachecticus et gracilis utpote Demosthenes, cui condiscipuli Batuli probrosum cognomen propter hoc imposuerunt. Ætas praecipue infantilis et senilis. Anni tempora, praesertim annus hibernus, et constitutio atmosphaerica frigida, sicca. Vitae genus ruditas educationis, genius linguae et regionis habitudo, vinum, veneris abusus, intemperantia, morum profligatio et volubilis ille urbium, gentium, et temporum gustus, quem Itali *Moda* vocant.

Morbi praegressi praecipue cerebri, hydrocephalus, apoplexia, epilepsia et aliae nevroses, rachitis, scrophulae, syphilis, exanthemata, cretinismus, scorbutus, pellagra, et quoad periodum in morbis, omnes nempe in illa prodromorum, stadii, et analepseos. Clima. Omnes circumstantiae quae morbos generales et locales fovent qui vitia cacolaliae afferunt.

Animi affectiones praecipue gaudium, ira, odium, admiratio, stupor, et ille animi affectus quem nos Itali vario sensu ab illo latinorum *timorem panicum* appellamus: nam propter hunc saepe viri omnibus facultatibus intelletus praediti si coram multitudine sint vel alio viro illustri vel auctoritate majori occurrant, ex-

templo muti evadunt et officiosa verba dicere volentes miseras expressiones balbutiunt.

Caussae proximae. Sunt vel idiopaticae vel sympathicae. Idiopathicae, fungi, tumores, indurationes in basi linguae ac ibi ubi transeunt magni nervi hypoglossi, uvulae divisio (Delius), nec non vitiata conformatio ossis hyoidis (Hahn) duplex perforatio fornicis palatini (Sartorius) et omnes abnormitates voluminis et formae partium omnium loquelae inservientium, hinc in inflammationibus gingivarum et labiorum, labio leporino, carie dentium, hydrargyrosi.

Sympathicae. Primum affectiones cerebri. Vel encephalum adhuc oppressum est, vel nervi organorum loquelae fortiter perturbati sunt propter laesionem quae cacolaliam produxit: hinc narcotismus hebetismus temulentia apoplexia. Symptomaticae aliorum organorum, ut in helminthiasi, debilitate universa, conditione ataxica adynamica, febribus intermittentibus, accessu spastico nevrosium et in congestione ac vomica pulmonum juxta De Haen sententiam, hae causae mediate tantum in linguam agunt, nempe per encephalum quem primitus afficiunt.

Essentialis differentiae character inter symptomaticam et idiopathicam cacolaliam in eo situs est, quod speciatim in morbis acutis lingua conetur multifariam moveri irregulariter, nec perveniat nisi post maximam haesitationem ad eos motus efficiendos qui pronuntiationem constituunt; non ita in idiopathica plerumque tam leves hi motus sunt, ut nec animadver-

ti possint, minima quaeque linguae mutatio situs diversimode agit, insuper in symptomatica cacolalia non adest nisi haesitatio et repetitio invita quarumdam vocum, inde comprehendi non potest verbum propter confusionem quae additur.

Diagnosis. Aliquando omni diligentia observationis nil inveniri potest.

De cura hic sermo non est nam cum variae dentur cacolaliae species peculiarem therapiam omnes sibi vindicant; ergo post expositionem singulorum vitiorum locus curationis praecipietur.

Species Cacolaliae.

Primum vitium est in haesitatione emissionis vocis ac pronuntiationis (Ischnofonia) haesitat lingua praecipue in consonantibus *k, t, g, l*, et si caussa deprimens agat, etiam in aliis litteris. Pendet a statu quodam torporis topico vel universali: invenitur hinc in plurimis morbis debilitatis, in pueris praecipue affectis genere illo scrophularum quae characterem torpidum praeseferunt, in helminthiasi, in plurimis nevrosibus et gravibus pathematibus, hinc in mala et imperfecta evolutione cerebri, vacuitate idearum in hebetibus, cretinis, et illis pellagra affectis tertio stadio.

Secundum vitium in eo est, quod spasmo quodam cogatur lingua quosdam sonos et syllabas invita repetere antequam verbum integrum proferre queat, quod

vitium plerumque haesitationi conjungitur (Travlismus seu Blaesitas); quum fortissimum sit, agitatio convulsiva faciei propagatur quae contrahitur plus minusve turpiter et miserabiliter. Causae-forsan a debilitate organorum vocis? Si quidem asthenia adsit, tamen haec non omnes musculos occupat quia quaedam expressiones violentae sunt ac repetitae; ab omni alia laesione ut quum quocumque modo harmonia sublata sit diversarum partium quae eidem functioni contribuunt, omnes morbi cerebri contribuunt, ut in paralysi, apoplexia, delirio trementi etc. Itard comparat vitium hoc tremori illi, qui homines rudes et fortes aggreditur in laboriosis exercitiis educatos, quum cogantur ad motus et opera quae dexteritatem et praecisionem exigunt, ex. gr. ad scribendum; saepissime vitium hoc a timore et caussis psychicis generatim pendet. Itard agnovit quempiam, qui in magna societate et in tenebris nil amplius balbucinabatur, cantu vel declamatione cedit vel imminuitur.

Theutus vitium est alicujus litterae tantum mala vel nulla pronuntiatio, et qua caussas agnoscit peculiarem organorum loquelae conditionem, vel consuetudinem ac institutionem. Hic optimum puto singulos articulatos sonos considerare.

Thentas ille, seu Thoot, seu uti putant Mercurius Trismegistus, aut ut alii Moses, Abraham quisquis est, qui primus agnovit tot ac tantarum vocum ac linguarum numerum nil nisi combinatione et repetitione quorumdam paucorum sonorum simplicium consta-

re, ille primus pater dici potest literarum et scientiarum omnium quum tantum propter maximum hoc ejus erga humanum genus beneficium ad omnia ea pervenimus, quae monumentum sistunt mentis et operum humanarum praestantiae. Revera maxima voluptate afficior atque admiratione, quotiescumque mecum cogito, quomodò divinus ille vir tunc tantum opus patrare potuisset, quod usque adhuc in tanta luce non potuerunt Sinae, qui si hoc obtinuissent utilius quam in legendi arte discenda totius vitae tempus consumerent, quam nos primis vitae annis perfecte callemus. Equidem procul dubio puto in sexcentis hominibus nostris diebus, qui ignari fuissent illarum notarum characteres graphicos constituentium neminem per se animadvertere posse, quod ex. gr. verbum *amo* tribus sonis distinctis componatur. A Phoenicibus et Ægyptiis ad Grajos et totum orbem qui elementa res scriptorias notas agnoscit literae migrarunt, sed mihi videtur non ab omnibus nationibus bene applicita signa ipsa fuisse unicuique sono, quin immo varii soni in quibusdam una tantum nota denotantur, dum alibi plura signa ipsis iisdemque respondent. Cui ignotum est quam difficilis hisce erroribus evadat linguae anglicae et gallicae aliarumque lectio propter incertitudinem in qua versatur alienigena et tyro, immo et ipse indigena, quum nesciant ipsud signum quod in hoc casu respondit dato cuidam sono, cui alio in subsequenti verbo et etiam syllaba idem respondere pactum sit? Inter nationes quae meliori or-

thographia gaudent, praecipue laudatur Italia ut celeberrimus Kempelen machina sua loquente demonstravit, etsi vero nec illa perfectionis culmen attigerit. Hinc necesse fore existimo, medicum qui loquelae vitia cognoscere et tollere studeat, consuetudinis erroribus minime parcere debere , sed rectius inquirere, examine mechanematis organorum vocalium genesim sonorum articulatorum perpendere, et signa propria unicuique elemento simplici locutionis tribuere.

La Cours de Gibellin et Klaproth putant, sonos articulatos qui ab hominibus edi possunt, ex observatione omnium linguarum ad numerum 42 ascendere. Variis sonis articulatis quibus italicus sermo constat, usque adhuc respondere statuit usus notas litteras A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. U. V. Z. Hisce, dempta *H*, cujus sonus italico sermone non habetur, et *K* cujus sonus a *Q* exprimitur et abusu plerumque litera *C*, alios sonos addi debere puto, qui quidem simplices sunt et ab Italis Gente proferuntur, quin ipsa animadvertat, eosdem non esse qui respondeant signis quibus notantur ; hoc patebit a recognitione mechanematis uniuscujusque soni, quam breviter facere conabor. Hinc alias divisiones sonorum praetereundo, quae mihi variis argumentis, quae hic nec tempus nec munus enumerare sinunt, non satis idoneae visae sunt, minus mihi displicet illa quorundam in labiales, palatinos, explosivos, gutturales, sibilantes, vel illa Magendie in voca-

les et non vocales. Soni itaque vel vocales sunt et liberi, vel consonantes, eo quod absque ope primorum proferri nequeant. Consonantes vero vel a labiis, vel a labiis et dentibus simul, vel lingua et palato simul, vel lingua tantum efficiuntur, hinc ego ab organo a quo fiunt, eosdem dividerem; Vocalibus A. E. I. O. U aliam litteram *O* et *E*, et in gallica lingua et germanica aliam *U* addi debere existimo; pro hisce sufficit quod emittatur vox e larynge ore magis minusve aperto, notandum vero est *U* melius labiis mutuo conjunctis proferri, et *U* gallicum et germanicum pene clausis. *O U* et *E* difficilius absque parvo motu dorsi linguae versus palatum obtinentur. *I* vero proferri nequit absque validiori motu ejusdem linguae versus palatum, et hoc unusquisque secum comprobare potest comprimendo ipse sibi dorsum linguae et sonum emittere tentans. Singularis fuit divisio a quibusdam nationibus habita inter *I* vocalem et consonantem dum unum tantum est mechanisma pronuntiationis *I* tam in *hic* quam in *hujus*.

Ex hisce patet, quod morbi laryngis, tracheae et faucium et oris quidquam possunt normalem emissionem vocalium turbare; quoad *I* vero obstabunt etiam morbi linguae et ejusdem abnormitates. Vitium in pronuntiatione *I* habetur quod Iotacismus appellatur, et fit cum littera *I* supra justum decorem in dictionibus pronuntiando extenditur. *O* vero magnum quod Graeci alio signo distinguebant, differt ab o-μικρον et *E* tenue quod Graeci ψιλὸν ab *E* lato *H*

Graecorum. *A* et *O* magnum plerumque in stupore et admiratione quasi automatice proferuntur, et hebetes et bardi in illa proni sunt. Quidam vitiose *o* parvum pro magno et contra, et duos *e* vicissim, aliasque vocales una pro alia usurpant (Apochcresis). Praeterea qui aliquo morbo et vitio organico in uvola vel velo palatino laborant, in emissione vocalium speciatim vocem quandam absque harmonia et cupam dant, cui nasus quoque contribuit, quam ego (Staphylophone) vocarem, et pendet ex eo quod aer qui in vocalibus emittitur, quum velum palatinum absit, vel uvula ingreditur intra nasum, dum e contra recta per os emitti deberet.

Labia secum invicem agentia sonos dant *P.B.M.* fit *B* leniter aerem emittendo per unionem labiorum parumper labia distrahendo; si majori vi fiat, *P* profertur. *M* vero claudendo labia et distrahendo, sed oportet quod nasus liber sit et in conditione normali, nam si claudatur vel comprimatur quocumque modo, *M* non obtinetur. Varia vitia conformationis labiorum et nasi pro *M* hinc magis minusve hisce sonis opponuntur. Vitia duo recensentur in pronuntiatione horum sonorum: primo quod proferri nequeant (Mogilalismus); secundo quod repetantur, et hoc proprie (Balbutiem) constituit et nomen omnibus cacolaliae speciebus praestitit: nam in se caussam nominis fert, nempe reduplicationem *B*. Praeterea quoad *M* vitium habetur quod Latinis (de nare loqui) quod si etiam repetitio adsit (balba de nare loqui). Obser-

vandum porro est, quod hi soni facillimi sint sic ut infantes hos ante omnes articulent, ac videmus in quamplurimis linguis prima nomina quibus constat infantum lingua, nempe earum rerum quae propius illis necessariae sunt, compositione horum sonorum exprimi ut *pappa* pater, graece ab antiquissimis usque temporibus, sicut testatur illud Homeri παππάζουσιν, ita latine, gallice, italice, germanice hispanice etc., et πάππος avus, et pappa cibus infantum pluribus gentibus, et *babbo* a nostris Hetruscis dicitur pater ; mamma vero etiam omnibus fere linguis et ipsis americanis mater, est graece etiam avia, et *mamma* papilla primum infantum nutrimentum, et μαμμᾶν vox graeca infantis cibum petentis ita et longobardis dialectis, et *pupus* parvus puer, et *pupa pupula* puella, et *pupae* imaginunculae quibus ludunt puellae prima aetate, et *bua* latinis quod nobis *bombo, bua* vero nobis dolor est; βαμβαίνω vero quod significat inarticulate loquor, et nostra vox *bambino, bambo, bambolo* etc. et *bambire* cujus nobis *rimbambire* mansit, eo quod infantes saepissime in pronuntiationem et repetitionem *B* incidant; nec forsan dissimilis est origo nominis *barbaro,* quod a Graeca lingua in Europaeas translatum, et quo Graeci omnes qui Graeci non essent appellabant, et qui male graecum sermonem proferrent, ut ait Suidas βάρβαρος οὐκ ἐπὶ ἔθνους ἀλλ'ἐπί της φωνῆς ἐλάμβανετο, et quod glossaria ajunt ab absona voce βάρβαρ dictum, vox in quam peregrini homines Athenas adventantes identidem incidebant.

Dentilabiales. Acies dentium incisivorum superiorum labium inferius vix tangit, si leniter vox emittatur *V* habetur, si fortius *F*. Vel etiam labrum superius super dentes incisivos inferiores; patet quod absentia dentium incisivorum vel labiorum quidquam obstare potest, quamquam, prouti vidimus, dentes et labia superius et inferius sibi invicem opem ferre, sic diffiicilius abnormitates in horum sonorum articulatione inveniuntur, et quod brochi seu bronchi, et labeones minus amabili pronuntiatione harum litterarum gaudebunt.

Litterae quae ope linguae et parietis interni dentium proferuntur, sunt *T* et *D*, illa fortiori impetu, haec lenius. Facillimae pueris sunt speciatim *T* ut testantur verba *Tata* pater latine, ut Martialis:

Mammas atque tatas habet Afra, sed ipsa tatarum
Dici et mammarum maxima mamma potest.

Et graece τέττα vox junioris ad seniorem forsan simili modo oritur, ut apud Graecos τιτθὸς mamma, et τιτθὴ nutrix, τιτθὶς avia, τυτθος parvus pusillus, et apud nos *tetta* uber τήθη, et pueris longobardis *titti* lac maternus, gallice *toutou* et nobis *tetè* canis pueris est, et *totò* verbera et *tato tata* pueruli. Vitium communius in articulatione horum sonorum est substitutio consonantis fortis nempe *T* (Teutonismus) correspondenti *D*, nec non substitutio *C* litterae *T* (Paedismus).

Linguales superiores seu palatinae eo quod requiratur actio simultanea linguae et palati, linguae api-

ce superius vergente, — *R* producitur rapidissimo motu oscillationis linguae superius in se quidquam convolutae ac ad fornicem palati vergentis; motus incipit a basi dentium incisivorum superiorum; difficillimus est omnium articulatorum sonorum; infantum fere nemo bene *R* profert; glossitis, tumores, fungi, indurationes, linguae absentia, glossocele et ancyloglosson ad apicem linguae usque perveniens ac strictim eam continens caussae sunt praecipue vitiorum multiplicium in hujus litterae pronuntiatione. *R* vel non profertur, et quoties accidit ut pronuntiari debeat, praetermittitur (Apocope); vel asperrime pronuntiatur ac vehementissime aspiratione gutturis addita, et si eam litteram *a* praecedat quasi *e* profertur, qui sonus assimilari potest illi qui emittitur cum aliquid excreare velimus; in Judaeis vitium communissimum est quod educatione transmittitur studio speciatim in pronuntiatione hebraicorum sonorum gutturalium, et praecipue ח cheth; hoc pendet ex eo quod sonus *cheth* quidquam *R* referat, et *cheth* linguae cooperationem requirat; hinc assuescunt Hebraei linguam inertem tenere et cum *R* proferre debeant, speciem quandam *cheth* emittunt (Judaismus). Vel pro littera *R*. *Gh* vel *V* emittitur sicuti Parisienses, et Galli Narbonenses, (Gallicismus); hoc fit ita ut in judaismo propter inertiam linguae in pronuntiatione, sed aspiratio gutturalis non additur. Vel substituitur *L* (Lambdacismus): fit ex eo quod parum lingua moveatur, apice tamen ejus ad palatum

vergente, quod in prioribus non fit. Denique *R*. repetitur (Blaesitas).

Z profertur dentibus incisivis invicem congruentibus, lingua vero gingivis internis superiorum dentium incisivorum adhaeret. *Z* duae habentur, lenis et aspera, ut in verbis patet Italorum *sozzo* foedus, et *rozzo* rudis; nil nisi gradu differunt. Vitia *Z* sunt, primo vel nimia vi pronuntiatur quasi *Tz* (Germanismus); vel lenis pro aspera et viceversa (Xenismus); vel loco *Z* profertur *S* in quod vitium incidunt in Italia inter Longobardos praeprimis Brixienses, Veneti vero fere omnes; (Patavinitas) appellari posset. Vel *Z* sonus quidam similis *θ* graeco datur, quod fit apicem linguae inter dentium acies ferendo et leniter aerem emittendo (Thetismus vel Graecismus). Denique quosdam agnovi qui pro *Z*, *D* vel *T* proferebant. (Deltismus). *S* quorum duo dantur quoque, lenis et fortis, ut in *Sanctus* et *Rosa*, facillimus est omnium sonorum lingualium et multifariam obtineri potest; tamen habetur et hic in quibusdam vitium vel nulla pronuntiatio, et quidam pro *S*, *I* proferunt (Iotacismus). Alii *Z* pro *S* proferunt ut hic in quibusdam locis, utpote Arquà et ad littora maris, ad Medoacum portum. Si absint dentes, vel rariores sint sic ut distent unus ab alio, tum in pronuntiatione *S* et *Z* vitium illud habetur quod sibilo comparari potest (Roezos): hinc saepissime in senibus invenitur. Vitia sonorum sibilantium praecipue in rachiticis inveniuntur, in quibus aliquando mandibula inferior quidquam

prostat et hinc ejus dentes non bene congruunt cum superioribus.

G quoque et *C* ad palatinos sonos pertinent, nil nisi gradu differunt inter se; in *G* etiam iotacismum habemus. Commune vitium in venetis provinciis in pronuntiatione *C* est quod ejus loco *Z* profertur (Vicanismus) utpote pro Caesar, Cicero Zesar Zizero etc. In communi scriptura Latinorum et aliarum gentium etiam pro duobus aliis sonis abutitur *G* et *C*, qui penitus diversi sunt, nempe pro *Gh* et *Q*, qui ad palatinos non pertinent, sed formantur ope linguae deorsum potius tendente, et hoc evenit in omnibus vocibus in quibus *G* et *C* ante *A O U* et omnes consonantes ponuntur ut *casa*, *campus*, *cura*; *creta*, *gallus*, *gobius*, *grex* etc. Et hinc Germani qui nostrum sonum *G* legitimum non habent sed tantum hoc secundum nothum *Gh*, etiam latine loquentes semper hoc secundum proferunt et ajunt *physiologhiam*, *ghinghivas* etc.

N. Lingua statu naturali; nasus quoque huic sono contribuit. In hac pronuntiatione hi quorum nasus muco obstipatus est, vel aliquo vitio organico in eodem laborant, quod saepissime evenit in illis qui syphiliticas et scrophulosas ozaenas passi sunt, et quibus uvula absit, pro hac littera sonum quemdam exhibent persimilem illi, quo Israelitae speciatim Germani litteram ע Nghain proferunt (Rhinophone).

Littera *L* item palatina est. Vitium communius in hac est (Lallatio seu Lambdacismus) et est vel

pronuntiatio litterae *L* sono quodam presso, nec non repetitione aliquando *L*. Videtur ex hoc vitio a Germanis nomen omnium generum cacolaliae sumptum in verbo *Lallen*. Sauvages ait, quod illi qui in hoc vitium incidunt, os habent parvum et saliva repletum.

Praeter hos sonos alii habentur quoque italico sermone et qui usque adhuc compositi putantur. Hi sunt *Gn* et *Gl* in quibusdam casibus, utpote in *aglio* allium, *veglio* senex, et *Sc*. *Gn* simillimus *N* non vero *N* est nec ex *G* et *N* componitur; Unusquisque pronuntiet *G* et *N* seorsim et animadvertet sonorum per se sejunctorum differentiam: Nasus hic etiam partem sibi vindicat, minus vero quam in *N*. Vitia in hac pronuntiatione sunt, primo pronuntiandi *ghn* utpote Germani plerumque, quum italo sermone loquantur, vel ut *N* ut iidem Germani alias et Galli quarumdam provinciarum, aliique alienigenae (Barbarismus). *Gl* sonus est simillimus *L*, sed non idem; artificium quo differt ab *L*, difficillime exponi potest. Idiotae ignorantia plerumque pro sono simplic *Gl* duos sonos *L* et *G* viceversa dant utpote in *speglio* speculum *spelgio*, *ciglio* cilium *cilgio* (Idiotismus). *Sc* denique simplex sonus est in plerisque verbis, in quibus hae duae litterae junctae videntur, ut in *scymnus scire* etc. Labia producantur quidquam in parte media a se invicem distrahentia, sed proferri potest difficilius tamen etiam absque labiorum concursu; acies vero dentium vel congruunt,

vel melius si incisivi superiores quidquam prostent ac tegant aciem et summitatem inferiorum, dum mandibula inferior retrahitur. Si aer lenius quam in pronuntiatione *Sc* ejiciatur, tunc simillimus sonus habetur qui *G* et *I* Gallorum respondet, ut in verbis *genre*, genus, *joli*, pulcher. Quod *Sc* sonus non constat ex *S* et *C*, unusquisque percipiet modo animadvertendo, quod cum omnes, vel pene omnes sonos *S* et *C* per se seorsim proferre valeant, hic nostris in provinciis pauci sint qui sonum *Sc* proferant hac quia sonus ab aliis diversus et ut alii simplicissimus est, aliudque mechanema requirit; pronuntiatio *S* pro *Sc* (Æthnicismus) nam ex. gr. Veneti eum non proferunt nisi per *S*; proprie dentalis est et Israelitae qui hanc litteram proprio signo notarunt, philosophice ad dentales referunt nam mechanisma geneseos שׁ scin proprium dentium est, et שֵׁן *scen* apud eosdem dens est, a sono forsan quem praecipue dentes dant ipsis nomen datum, et figura eadem quidquam dentium formam refert.

De diphthongis loqui vanum est eo quod vel integrae atque ut scriptae sunt pronuntiantur, et tunc constant compositione aliarum vocalium simplicium, quas jam consideravimus, vel ut in linguis gallica, anglica et germanica proferuntur aliis sonis quam qui respondeant notis quibus scriptae sunt, et tunc eas ipsas referre debemus ad sonos, quos usus dato in casu statuit diphthongos ipsas repraesentare, qui iterum semper eaedem vocales sunt de quibus jam locutum est.

Ex hisce elementis verba, ex verbis sermo fit, qui in unoquoque homine peculiarem characterem praesefert, ac speculum dici potest mentis et ingenii. In sermone varietates quaedam observantur, quarum praecipuae sunt Brachylogia seu Laconismus, et Macrologia *h. e* caritas vel copia verborum, quae morbosae non erunt, si temperamento, aetati ac consuetudini in unoquoque respondeant. Ita videmus, quosdam tam confusa et barda loquela uti, ut mugitum potius ac fragorem eam appellare possemus, alios blatterones inania projicere atque auribus quasi picae obstrepere; quidam post pauca verba aerem sorbent, et vel pendet a dyspnoea, vel a consuetudine: praeterea habetur imperfecta loquela quoad tonum vocis in dyspnoeae speciebus et in aphonia: hinc in vitiis laryngis et faucium; repetunt sibi alii ultimas syllabas verborum quasi (Echo), quod vitium a Traulismo differt, in quo violenter trahimur a difficultate pronuntiandi ad repetitionem et praecipue in primis et intermediis syllabis. Praeter haec violenta singulorum verborum ac aspera pronuntiatio, praesertim in ultimis syllabis calcata, quidem syllabas integras praecidunt (Apocope) et hoc tam physiologice quam morbose; alii incedentibus motibus vultus totius loquuntur nec consentanea expressione, labra porrigunt male, et scindunt et adstringunt, dentes nudant, et in latus ac pene ad aurem trahunt, lambent, mordent; quod aliquando morbosum est, ut in delirio trementi potatorum, in nevrosibus, febribus vio-

lentis; in aliis affectatio quaedam est quam Quintilianus a Graecis κατάπεπλασμενον dici refert; aliaque vitia quoad accentus etc. quae cum a facultatibus intellectus ingenio et voluntate pendeant potius quam ab organis loquelae, ad hoc argumentum non referuntur, sed ad Rhetoras et Grammaticos.

Quae medicorum propius interesse queunt, sunt: Interruptio sermonis utpote in delirio, et in quibusdam post trium vel quattuor primorum verborum rectam pronuntiationem, confusio maxima loquelae ac cacolalia utpote in convalescentia ab apoplexia.

(Dyslalia) Cum verbum non respondeat ideae quam aeger exprimere vult; pendet a turbata relatione inter centrum maximum et organa motus, quae vocem et loquelam producunt, et praesertim cum affecta sint cornua Ammonis juxta sentetiam Pinel-Grand-Champ et Foville, hinc in paralysi, apoplexia, et speciatim in stadio convalescentiae a multis nevrosibus, in epilepsia, hysteria, hypochondria, mania, delirio, helminthiasi, ebrietate, somno, agrypnia, somnambulismo, narcotismo, somnio. Hoc vitium praeterea commune est viris studiosis qui scientiis abstractioribus nimis indulgent, et qui in phantasiae operibus maximo nisu et amore exercentur, hinc pictoribus, poetis, musicis, comoedis nec non in viris sensibilibus et faeminis gravibus pathematibus affectis, in amore, ira, terrore et praesertim in senibus propter memoriae deficientiam; hujus vitii relationis turbatae, inter centrum maximum et organa motus exem-

plum luculentissimum nuper vidi in caupone quodam, qui quum a gravi apoplexia convalesceret ac verba proferre non posset, illi atramentarium, chartam et calamum praebuimus, ac cum ille tunc (ut postea ipse fassus est a morbo restitutus) dicere vellet quod quemdam cibum appeteret inaudita sexquipedalia verba scripsit, quae nulla in lingua invenire fas erat; dein paullatim de die in diem morbo cedente sic scribebat ut primae litterae ideae congruerent, aliae vero minime, indeque melius usque ad perfectam scripturam.

Generalia de Cacolaliae Therapia.

Varias caussas invisenti, vitae generis mutatio, morborum qui cacolaliam sustinent, expulsio, recta institutio fulcrum offerunt curae. Ætati infantili remedium porrigit tempus; minime laudo paedagogos sylvestres, qui increpationibus minis et verberibus haec vitia in pueris superare velint, tum quod nec liceat nec deceat, tum autem quod terror qui exinde oritur, magis curationi obstat; aetate puberi plerumque vitia loquelae evanescunt tum et propter firmiorem corporis compagem, morborum dyscrasiacorum fugam, meliorem organorum vocalium evolutionem, idearum et cerebri perfectionem, quum propter audaciam quam aetas ipsa secum fert et studium in quod incumbit ipse blaesus ad proprium vitium corrigendum, eo quod eum pudeat joci et risus argumentum inter pares evadere, praecipue si amor addatur.

Aetate vero maturiori firmo mentis consilio et vi voluntatis. Cacolalia ab affectionibus animi vel caussis psychicis sic dictis curam non exigit prouti affectiones ipsae pro tempore tantum durant ex. gr. reverentia vinci potest consuetudine, familiaritate, argumentis, ratiocinio, amor vel fuga vel quum frequentius propiusque cum idolo versari liceat. In symphatica cerebri vincatur vel apoplexia, vel paralysis, vel narcotismus etc., sic saepissime etiam cacolalia aufertur: quod si maneat ex reliquiis perturbationis nervorum semper in nervos ipsos agendum est. In illa quae a congestione et vomica pulmonum pendet De Haen obtinuit in quinque aegris valetudinem perfectam post morbum primarium superatum, illa ab helmintiasi anthelminticis et victu roboranti diaetaque idonea, a febribus intermittentibus, chinina, cortice peruviano, et roborantibus; immo Timaeus observavit in quodam puero undecim annorum post febres intermittentes perfectam a priori blaesitate restitutionem: ex quo longe absum, quin conjiciam febres intermittentes cacolaliam sanare, sed potius unum aliumque morbum faventibus sub circumstantiis eodem tempore evanescere posse; Illa ab accessu spastico post accessum cedit, vincatur vero nevrosis quae eam gignit. Quoad curam idiopathicae cacolaliae si in vitio organico sita sit plerumque claudicamus; sunt vero et qui dicant absque lingua homines loquentes vidisse, si vero a convulsione spasmo inflammatione pendeat, abstinentia a stimulis, antispasticis, phlebotomia et antiphlogisticis generatim tractanda.

Cura specialis.

Haesitatio (Ischnophonia). Si symptomatica, universalis et primaria affectio tollatur, si topica saepissime repetitioni (Traulismus seu Blaesitas) conjungitur, hinc communem habet curam. Ætas hoc vitium tollit vel saltem imminuit: nam volubilitas et inconsiderantia saepe saepius caussae sunt. Praecipiatur puero lente ac elata voce legere , ab exemplo aliorum, quod facile imitationem inducit, secedat puer, diligenter, plane elata voce litteras quasque proferat et litteras litteris conjungat ac syllabas sensim repetat , therapia speciatim consuetudinem vitiosam vincere studeat et timorem. Demosthenes qui hac cacolaliae specie laboravit hinc declamabat ad littora maris ut vox a rumore undarum confunderetur: exemplum insuper efficacissimum est, et ideo ipse orator apud Andronicum Hypocritem exercebatur ; praeterea studium pertinax ut ipse qui tres menses sine intermissione domi studuit capitis parte abrasa, ut sibi exeundi facultatem praecideret: Itard bis perfectam sanationem in duobus pueris obtinuit ipsos moderatrici matronae et paedagogo credendo, qui aliam linguam tantum loquerentur , sic ardorem at impatientiam aetatis coercens ; minus mihi arridet alia methodus ab eodem Itard proposita, nempe praecipiendi puero blaeso pythagoricum silentium unius anni, quod obtineri posse dubito, et etiamsi hoc fieret

post interdicti tempus transactum mihi correctio imbecillitatis linguae speranda non videtur: melius fore puto postquam ratiocinium evolutum sit, blaesum vel secum vel praeceptore duce consonantium et vocalium mechanisma singillatim imitando componere et fortiter pronuntiare , omnesque inde combinationes eorum. Hic applicandum fore arbitror instrumentum quod Itard Demosthenis artificium aemulatus fieri jussit, nempe quamdam furculam platini vel auri, quae ponitur in ore blaesi facie sua convexa ad concavam faciem alveolarem mandibulae inferioris inclinatem, longitudinem unius pollicis et dimidii praeseferentem, quae horizontali directione ancyloglosson respicit, quod bifurca sua figura comprehendit, et extremitates ramorum terminantur quodam globulo fabae magnitudinem habente in facie inferiori linguae, ubi ipsa superiori parieti oris unitur. Effectus hujusce instrumenti est quod sonus in pronuntiatione obscurus fit similis illi quem emittunt ii quibus quacumque caussa velum palatinum bifidum est. Inficiari non possumus ipsud instrumentum articulationi sonorum minime favere, sed procul dubio repetitioni opponitur, ergo optimum hoc in casu. Opus est ut effectus habeatur, eodem longum tempus uti nec molestiae parcere nec nisi in somno et quum cibus sumatur, hoc deponere, tunc vero a sermocinatione abstineri. Ipse Itard sic duos juvenes sanavit quorum unus hoc instrumento per annum integrum usus est, ac consuetudine dormiens et prandens quoque tenebat, alter octo menses et interrupte.

Cura Psellismi.

Omnes Psellismi species quae a consuetudine educatione et imitatione pendent, studio et tempore in infantibus corriguntur, non facile item in adultis; in iis quae a morbis acutis pendent morbos ipsos mederi oportet; quae vero ab organismi fabrica, difficilius, aliquando tamen lapsu temporis quaedam sanantur. In variis vitiis pronuntiationis singularum literarum difficillime superantur Rhinophone et omnia vitia *R*. Rhinophone studio atque diligentia si a consuetudine, si a morbo temporario, cura morbi; si vero a vitio organico saltem obumbratur, ut exemplum habemus in celeberrima Carolina Internari histrionicae artis ornamento, quae ex quo casu aulaei super ejus nasum eidem hoc naevo laborare contingit, sapienti cura et artificio non penitus injucundam vocem reddere valuit.

Varia vitia in pronuntiatione quarumdam litterarum in quae incidunt peregrini, applicatione et mora in regione in quam advenae sunt, disparent: equidem Germanos et Gallos agnovi, quos nemo non Italos esse putaret.

Therapia in Paedismo a tempore plerumque habetur. Jubeatur puerum linguae apicem versus aciem dentium incisivorum superiorum fortiter impellere.

Praetermissio soni *R* qua Demosthenes etiam laboravit, auferri potest diligentia. Difficilius vitium il-

lud quod judaismum appellavi ; quum pendeat a consuetudine Hebraeorum pronuntiandi literam *R* gutture et absque linguae motu, prouti in sono *R* maxime lingua exercetur, sic eorum lingua parum ad motus vehementes assueta est, hinc etiam aliòs sonos quidam eorum male proferunt. Hinc in cura duae habentur indicátiones, primo movendi saepe saepius linguam ipsam, secundo cum discipulus *R* pronuntiare velit apicem linguae sursum ferat et applicet ad basim dentium incisivorum superiorum, exercitium praeterea repetendi saepe saepius literam *R* et verba praecipue quae incipiant ab *R*. Utilitas in hac methodo est, quod ipse possit linguam eo situ ponere, quo oportet ut *R* proferatur ; dum e contra si verbum aliqua alia littera incipiat, et dein intus *R* subsequatur, tunc lingua quae aliam positionem habebat propter pronuntiationem cujuscumque alius soni difficillime movetur ad occupandam positionem quam ei tenere oportet in *R*. Non dissimili ratione pro Gallicismo Talma exercitium instituit quo lapsu temporis corrigitur: ipse suasit semper substitui sonum *D* sono *R* ac in omni voce quae a *T* incipiat, quasi *T d* proferre. Nempe quia in sono *D* lingua ponitur ad basim dentium incisivorum, et sic obtinetur quod lingua a statu naturali moveatur, et nil nisi quod oscilletur postquam in positione *D* fuerit ei necesse est. Non semper vero consilium hoc valuit: exitus a majori vel minori voluntate et constantia pendet.

Lambdacismus *R* sufficit postquam lingua jam statutum locum in *L* occupat, forti impetu movere ac a pariete palati sursum a-vehere.

Caſcolalia felicissime simulatur. Quidam callidi pueri ficta blaesitate per annos et anuos praeceptores decipiunt ad negligentiam dissimulandam. Interest nostra aliquando bene veram a ficta caſcolalia distinguere, eo quod Blaesitas et Balbuties maximo gradu apud quasdam gentes a militia eximunt. Summa diligentia in examine requiritur eo quod omne decipit. Animadvertendum est, an in una tantum vel quibusdam consonantibus, vel in omnibus balbucinentur (quo in casu suspicioni locus datur) inquiratur, an ipse balbus erat a populari voce. Blaesi qui sponte ad arma ferenda se offerunt, non excluduntur.

Quae usque adhuc exposui, nil nisi brevissima Epitome, immo specimen potius constituunt omnium quae in hoc argumento dici possunt, ad quod exhauriendum nec aetas nec cognitiones mihi sunt pares, quin immo mentemque firmiorem et experimenta et plurium linguarum studia oportere et scientias omnes historicas topographicas funditus cognoscere existimo, ad quae omnia annorum lapsus, itinera, doctorum virorum commercia, opes requiruntur. Quae cum ita sint, quae pauca studui atque collegi de vitiis loquelae in lucem edere et illustrium virorum auribus offerre, nec somnians ausissem, nisi consuetudine et munere aliquid de me ostendere coactus; quapropter pro me et hisce rogo ut veniam concedatis.

THESES.

1. *Ne fiat de Therapia ante diagnosim sermo.*

2. *Caussae sic dictae psychicae temperamentum et habitum corporis mutant.*

3. *Progressus scientiarum omnium de die in diem medicinam extollunt.*

4. *Amor maxima evolutionis humanarum facultatum caussa est.*

5. *Acidum Borussicum improprie ad acida refertur.*

6. *Asthma semper a vitio organico.*

7. *Ubi Dynamis absque materie inveniatur ignoro.*

8. *Syphilis antiquissima.*

9. *Mares majori numero quam faeminae in humana specie oriuntur.*

10. *Assa foetida efficacissimum sistit pluribus in morbis remedium.*

11. *Minime dedecet medicum chirurgicam artem exercere.*

12. *In Aetiologia abstinendum est ab enumeratione caussarum quae minus directe evolutionem talius morbi fovent.*